



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

CXCV. Die Königin Kunigunde von Böhmen verspricht eidlich dem
Römischen Könige Rudolph, die mit ihm geschlossenen Verträge
getreulich zu halten.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

plendam summam superius, ex tunc de aliis bonis Regni Bohemiae, aut Marchionatus Moraviae procurabimus summam, quam supradiximus, adimpleri. Si vero redditus assignandi ultra summam praedictam taxati fuerint, tunc hoc, quod summam excedit, de assignatione, quam fieri volumus, deducetur; et si forte pars reddituum assignandorum evinceretur a Domina Regina, tunc in locum ejus, quod evictum ab ipsa fuerit, aliud, quod tantumdem valeat, reponemus. Ipsa autem Domina Regina praesentem assignationem grante a nobis suscipiens, se nobis ad certa pacta voluntarie obligavit, quorum tenor et ordo in litteris suis patentibus, quas super his nobis tradidit, plenius continentur. Ad haec praefata Domina Regina, si praemissa, quod ablit, infringere, a pactis et promissionibus nobis factis erit libera penitus et soluta.

Nach Sobmann a. a. D. S. 105.

CXCV. Die Königin Kunigunde von Böhmen verspricht eidlich dem Römischen Könige Rudolph, die mit ihm geschlossenen Verträge getreulich zu halten.

Post decessum clarae memoriae Domini et mariti nostri, quondam O. illustris Regis Bohemiae, adversitatum nobis imminentium innumerabiles impetus declinare volentes, ad Serenissimi Domini nostri Rudolphi, Romanorum Regis semper augusti, transivimus gratiam, spem habentes, quod idem nobis maritali praesidio viduatis, paternali clementia provideret; et quoniam idem Dominus sub protectione Romani Imperii favorabiliter nos collegit, nobisque terras, possessiones et redditus in vicem et locum donationis nobis factae propter nuptias a praedicto nostro quondam Domino et marito liberaliter assignavit, quae et qui in suis litteris propriis nominibus exprimuntur, in aliis quoque nostris petitionibus nostro beneplacito factus nobis placabilis benivole acquievit: nos vicem, quam possumus, reddere cupientes eidem, tactis sacris evangeliiis sibi promittimus et juramus, quod honorem suum et utilitatem semper promovebimus bona fide, et quod ad hoc omnem nostram diligentiam, operam et sollicitudinem impendemus, ut omnes tractatus, pacta, promissiones et placita inter ipsum et nos de pueris suis et nostris nuper facta, et omnia alia, quae in aliis nostris litteris sibi per nos datis exprimuntur, integre compleantur, et quod nulla occasione, nullo inductu, nullisque promissionibus inclinabimur in favorem vel partem eorum, qui impediunt in praesenti, vel impedire volunt impofterum, ut illae ordinationes et pacta et placita, de quibus supra meminimus, differantur, vel deficient, vel in parte aliqua immutentur, nisi prius ad hoc accedat praedicti Domini nostri Romanorum Regis beneplacitum et consensus. Illud etiam cavebimus toto posse et bona fide, quod nullum servitium, consilium, favor et auxilium de bonis et hominibus nobis assignatis fiat praedicti Domini nostri Rom. Regis inimicis praesentibus vel futuris, illis maxime, qui impedimentum praestant vel praestabunt, ne pacta, conventiones et placita, inter Dominum nostrum, et nos habita, de quibus supra diximus compleantur. Haec omnia et singula de certa conscientia nostra, et habito sanae deliberationis

consilio promittimus praedicto Domino nostro recipienti promissionem nostram sub religione jurisjurandi, quod ei praestitimus, venerabili Patre, Domino H. Basiliense Episcopo, nobis juramentum huiusmodi, quod sponte suscepimus, deferente, ac per fideles interpretes exponente tenorem praesentium litterarum; cuius Episcopi jurisdictioni nos subicimus, renuntiantes privilegio fori, si contingeret, quod Deus avertat, per nos aliqua de praemissis infringi. Promittimus nichilominus, ut honorum nobis facta assignatio sit cassa et irrita, et ad praedictum Dominum revertantur, et quod ex tunc illi, qui nobis juraverunt vel jurabunt fidelitatem, a juramenti nobis facti vel faciendi sint vinculo absoluti, et praedicto Domino nostro nobis relictis adhaereant et intendant, et omnes gratiae nobis factae sint viribus vacuae, et praefatus Dominus noster a promissionibus singulis et placitis nobis factis, quantum sibi placuerit, sit solutus, si nos ab his, quae supra memimus, occasione vel modo aliquo recedemus.

Nach Bobmann das. S. 109.

CXCVI. Mehrere Schreiben des Königs Rudolph über seine Versöhnung mit dem Markgrafen Otto von Brandenburg und über die Vermählung seiner beiden Töchter mit einem Bruder des Markgrafen Otto und mit Bratislaw, dem Erben der Krone Böhmen.

I.

Qualiter caelestis altitudo consilii, cuius occulta iudicia colligere nemo potest, ad interitum illustri quondam O. Regis Bohemiae nos induxit, alias tibi, cui digne debuimus tam gloriosum intimare triumphum, littera nostra depromptit; Ideo huiusmodi gaudiosae relationis seriem memorandam ad praesens sub silentio transeuntes, illa nova, quae ex novitate successuum prosperorum erga nos postmodum sunt suborta, tibi in incrementum uberius laetitiae intimamus, videlicet, quod inter nos et illustrem Ottonem Marchionem de Brandenburg, et quoslibet alios de eisdem Regis Bohemiae parentela, consopitis omnibus, quae futurae discordiae pericula minabantur, juxta votum et desiderium cordis nostri pro nostro honore ac totius Reipublicae commodo, inviolabilis amicitiae pacisque foedera sunt contracta, sic, quod inelytus W. haeres Regni Bohemiae, illustri filiae nostrae, nec non illustri frater Marchionis praedicti, alteri nostrae natae, sunt matrimonialiter copulati; quae quidem sacra connubia sunt cum festivitate celebri consummata, prout regiam concedet Majestatem. Sciat etiam tua fidelitas, quod sanctissimus in Christo Summus Pontifex ab arce paternae karitatis emisit venerabilem N. legatum et suum nuntium specialem, ut sacrosanctae Matris Ecclesiae et Imperii Rom. negotia in identitate unionis et amicitiae pro nostro beneplacito uniat et conformet.

II.

Vt fortunatis et prosperis nostrae felicitatis eventibus, vestris praecordiis nova novae laetitiae tripudia renoventur: ecce, quod vobis insinuamus, ad gaudii incrementum, quod interveniente consensu benivolo N. et de libero suae beneplacito voluntatis, inter nos ac N.